

POSITIONES MISCELLAS,
PERMITTENTE AMPLISS. PHILOS. ORDINE,
ALUMNIS PUBLICIS ET PRIVATORUM,
DISPUTATIONIS LOCO,

EXHIBET

JOH. FREDR. WALLENIUS,
Eloquentiæ Professor, Ordd. de S. Anna 2:da & de S. Wolodimiro 4:tæ Cl. Eques, Stipendiariorum h. a. Inspector,

RESPONDENTE

JACOBO JOHANNE NORDSTRÓM,
Stipendiario Publico, Aboæ-Fennone,

In Auditorio Philosophico die VI Octobris MDCCCXXI.

horis a. m. convetis.

ABOÆ,
ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.

I.

Vulgatissimo Genevensis Philosophi, sub *St. Preuxii* sui persona, effato, fuisse & esse, nisi geometras & fatuos, qui sine figuris loquatur, neminem (*il n'y a qu'un géomètre & un sot, qui puissent parler sans figure*), cum factam illis quidem esse injuriam, simulque quam oportuisset angustius terminatum, qui patet tamen ubique latissime, tropicæ rationis usum, probe sentiret & γεωμετρικώτατος & elegantissimi idem ingenii Goettingensium Professor KÄSTNER, opposuit eidem, neque immerito, libellum de Translatis in sermone Geometrarum, ubi, cetera inter, pulchrum sane est exemplum appellationis Quantitatum Negativarum, nec minus cum loco illo Biblico Ps. 62: 10 bene collatum; cur vero in re sua probanda manifestiora etiam magisque tropica neglexerit sagacissimus homo vocabula Rhombi, Trapezii, triangulorum Isopleuri, Isoscelis atque Scaleni, Chordæ, Centri, Sinus, Radicis, similiaque plura, haud liquet facilius, quam cur ex Figurarum proprie dictarum numero omiserit Occupationem Concessionemque, utramque Mathematicis familiarissimam.

II.

Cum sit Metaphora translatio vocabuli e propria significatione in alienam, similitudine nixa harum utriusque, facile patet quadruplicem cogitari posse commutationis istius varietatem ac modum: unum, eumque frequentissimum, propterea que nec jam indigentem exemplis, in quo a significatione corporea & sub sensus cadente ad rem incorpoream denotandam traducitur vis vocis translatae; alterum, cum contra, quod siveit ante de re quadam insensibili prædicari, ad significandam rem sensibus percipiendam accomodatur, ut græcum γινώμων pro stilo horologii solaris aut clepsydra; tertium, in quo corporeæ alicujus rei appellatio ad rem aliam æque corpoream indicandam transfertur, ut in svecano *sājare* pro horologii indice, aut si quis *Perspectivam aurium* vocet verborum collocationem pronuntiationemque justis & temporum intervallis & vocis discriminibus dimensam; ultimum, ubi notio extra

sensuum imperium posita cum alia sensibus æque exempta permutatur, ut si dicamus *ignorari* s. *nesciri* ab aliquo illud quo caret. Primum genus, ut lucidissimum est, oratoriæque & magis etiam poetiæ rei convenientissimum, ita quo utamur dignissimum quoque; secundum, nisi quatenus ad ipsam linguæ penum pertinet, vel ideo rarius usurpandum, quod res a sensibus ad mentem qui revocat, illustrareque concreta similitudinis ex abstractis petitiæ ope conatur (in quo, recentiores inter, nimius præsertim est TIEDGE), non lumen illis adhibet sed umbram; præstantius tertium sed, per diversam rerum aliis aliisque sensibus assequendarum naturam, rarius suppetens; quartum exigui prorsus ad intelligendam rem, ad pingendam nullius, sed omnis ad variandam conclusi, subsidii.

III.

Ut erat quondam Pontus Euxinus ab inhospitali feritate Axenos appellatus, deinde per euphemismum mitius nomen invenit, sic contra *Xenia*, quæ fuerant antiquis Græcis benevola dilecto hospiti data munuscula (ut fere Romanorum *lautia*), haud nomen quidem nuper mutarunt, sed naturam, degenerando in mordacia atque inhospita inimici in inimicum scommata diæriaque. At par jam dudum fuit fatum & vocum *hostis*, *tyranni*, aliarumque.

IV.

Servianæ ad VIRGIL. *Æn.* V. 481 & VIII. 83 censuræ, vitiosam semper esse & pessimam monosyllabicam hexametrorum versuum clausulam, nisi forte monosyllabo isto minora exprimentur animalia, refelluntur satis quidem Homericis illis *νεφελιγερέτα Ζεὺς*, *Φεῖνας εὐρύοπα Ζεὺς*, Horatianis *o pater & rex* — Jupiter — (L. II. sat. 1 v. 42), *si quid superesse volunt dī* (L. I. ep. 18 v. 48), Maronianisque ipsis *deūm rex* (*Æn.* III. 375. XII. 851), *divūm pater atque hominum rex* (*Æn.* I. 65. II. 648. X. 2, 743), *deūm gens* (*Æn.* X. 228) &c., beneque probavit in primis Voss, jam magnitudinem, jam gravitatem ac pondus, jam quiescentis naturæ silentia, istiusmodi indicari exitu; nec in ridendis sane suum lusit AUSONIUS Monosyllaborum Technopægnion. At neque fugit quemquam, denotari eadem quoque clausula aliquando exilitatem, vilita-

tem atque contemptum; hoc vero cum quæritur, haud parum adjuvâri atque intendi vim comicam si ultima proxime præcedentis vocis syllaba cum voce sequente consonuerit, documento sunt loca VIRGILII *Ge. I. 181*, HORATIIQUE *A. P. v. 139*.

V.

Utrum fortuita an voluntaria fuerint Poëtarum veterum Græcorum Romanorumque Homœoteleuta, de eo in utramque disputari partem omnino potest; sed præponderare tamen multum, nostro saltem iudicio, videtur posterior illa opinio. LUCILIO sane, cum similem verborum *nolueris* atque *debueris* sonum ipse notaret, sed esse diceret Isocratium (*GELL. N. A. L. XVIII. c. 8*), nequaquam inscio exciderant eadem; nec potest, qui attente legerit PLAUTUM, quin animadvertat, quæsitum ipsi sæpe fuisse ex homœoteleutis insigne comicæ vis augmentum atque subsidium. Exempla non hic jam capit locus, sed instar omnium laudari meretur duplex illud e Prologo *Pœnuli v. 81 sq.*; PLAUTO vero ut est TERENCEUS in universum vi comica, sic hæc etiam illius laude, inferior.

VI.

Ab inveniendâ Typographica Arte quam prope abfuerint Veteres nonnunquam, docet in primis narratio PLUTARCHI de AGESILAO Rege adipiscendæ victoriæ suis creaturo fiduciam, vocemque ergo græcam *ῥίση* manui suæ, sed litteris inverse ductis, clam inscribente, indeque impressam jecinori mactatæ hostiæ palam ostendente; nec minus sigilla Medicorum oculariorum a SMETIO, SPONIO, MAFFEO & J. E. I. WALCHIO descripta, inscriptionibusque notata & illa inverse exaratis, ad collyriorum, ut videtur, pyxides notandas & destinata & vere adhibita.

VII.

Vaccinium VIRGILII (*Ecl. II. 18, 50. X. 39*) nec cum SPRENGELIO de Delphinio Ajacis, neque cum RETZIO de Vaccinio myrtillo, intelligi commode potest; putandum potius eadem esse planta quæ PLINIO quoque (*H. N. L. XVI. c. 18 s. 31*) atque VITRUVIO (*L. VII. c. 14*) Vaccinii venit nomine, quamque de Pruno Mahaleb probabiliter admodum explicuit DALECHAMPIUS.

VIII.

Trajecto fune, VIRGIL. *Æn. V. 488*, perperam interpretantur & VOSS & ADLERBETH, is de fune malum constringente, hic de funiculo columbam ex eodem suspensam circumvolvente, cum certe cogitandum potius sit fuisse vinculum illud, quo pede solo innexa pendebat avicula (*v. 511*), altero sui extremo per aliquod in malo foramen transmissum; sic nempe loquitur & ULPIANUS de aquæductu per domum alienam *trajecto*, PROPERTIUSQUE de *trajectis* telis.
